Rever. ac præſtantiſſ.° Viro, DNO Sebaſtiano Höggero, Scholæ Sangall. Rectori, & Eccleſiæ ſum̄i=ſtrovigilantiſſ.° amico & fratri in Chro per-gr. amanter colendo.

Sangallum.

110.

S. P.

Credo ad te perveniſſe, Vir p̄ſtantiſſime, Höhi-neri n̄ri pharmacopolam una cum literis ad ipſum, adeóq; redditum ipſi. Typographo de meis pecunijs ſatisfeci. Expecto reſtitutionem ſumptuum meorum. Bene eſt, ſi ad nutum ipſius adeóq; tuum etiam habet pharmacopolam. Plura adhuc ab amicis ſunt comportata & ſeorſim typis exſcripta, quæ haut dubiè vobis quoq; oſtendent. Habeo hic, quod in ſinum tuum effundam. Generi mei [Altmoviſſis pastoris] privignum arti aurifabrili apud nos diſcendæ addictum fuiſſe, fortè non ignoras. Ille biennio jam apud magiſtrum exacto ante ſeptimanas tres, nemine ſalutato, diſceſsit & exceſſit. Quò autem ſeſe contulerit, cum ignariſſimis ignoramus, nec reſcire hactenus potuimus, quanq; omnem movimus lapidem. Metuimus ne in cœnobium aliquod apud vicinos Papiſtas ſe receperit, ex conjectura aliqua. Aſtutiſſimè hunc exceſſum texit, ut ne tenuis quidem ſuſpicionis umbra de eo fuerit. Quin mater, quæ propè à partu abest, magnum inde perceptura ſit dolorem, nulli dubitamus. Nolim autem hoc in vulgus apud vos ſpargi. Noſti, ſemper oſtendi ἐπιχαιρεκάκους, cum Christiani pectoris ſit in afflictionibus συνοδύρων συμπάθειν. Baſileâ M. Zuingerus, μακαρίτου Antiſtitis filius, Gr. Ling. Prof. ad nos ſcripſit, famam Baſileâ Argentorato emanâſſe, Dannhaweri dis Romanis minibusq; immiſſum factum à Magiſtratu Arg. prohibitum. De VVirtembergicis Cl. Hottingerus literis hac ſeptimana ad me exaratis refert, quòd & tolerantiam, & moderationem in ſcriptis ac concionibus obtulerint. Si eadem Saxonicis mens Theologis foret, rana illa Argentoratenſis coaxationibus ſuis non multum proficeret. De rebus n̄ris aliâs. Abbas veſter ſtrenuè pergit in armiluſtriis & tyrannide erga Toggios. Utinam ſibi malum caveat. Vale vir amiciſſime, ac ſaluta Dnn. Gymnaſtas. Tig. 22. Aug. 1657.

T. ex aīo

Hdich.

S. pl. Magnam; Reverende et doctissime Vir; taedii, malevolorum calumniis allati partem,
[illegible], pada, quibus nuperae tuae abundabant, levârunt. Gaudeo, me tot tantisque testibus
stipatum, ubicunque opus fuerit, contrariorum rumorum nubeculam discutere posse. Spero
tamen Θεοῦ esse, non ἔργον, ac proinde pariar fore [illegible], ut cum Basilio
loquar. Νεφύδριον ἐστι, καὶ παρελεύσεται. Κἂν μὴ ὡς λέγεται, ἀλλ' ὡς εὐχαρίστως.
Venerandus D. Decanus vester καταλλαγῆς, in eo, in quo nunc versatur, loco, idoneum in-
strumentum erit. Etsi autem ipse quoque surdo fabulas narraret, bonae tamen consci-
entiae, et virorum apud Vos praestantissimorum testimonium animum meum confirmaret.
Inprimis autem me consolatur ipsorum Alumnorum vestrorum, de qua nuper, diligentia
et probitas. Certè, si malis egissem artibus, non tam feliciter haec alea cecidisset. Sed
malo aeterna in posterum haec oblivione sepelire, quam iis tibi molestus esse, vel me
ipsum conficere et excruciare. Patienter ferendum est, quod vitari non potest.
Peregrinationis eorum continuationem quod attinet, ego ipse sponte mea, non ab illis
rogatus, de Marpurgo scripsi. Cum enim existimârim eorum apud me terminum
ultra Septembrem, proximè instantem, extendi non posse, maturè satis de futura
μεταβολῇ tecum agere volui. Neque existimo, illis eos privatis, publicis fortè,
rationibus ad mutandam studiorum sedem adduci. Subinde, et quidem singulis diebus
aliquoties, in Hebraeis, Graecis, Theologicis eos exerceo. Avidè satis plerique institutio-
nem propinatam hauriunt. Unum Kampfium magis φιλόπονον desidero. Scio, quanta
eum curâ complectaris; vidi, quam paternè eum ad φιλοπονίαν excites. Stimulis
illis subinde opus habet. Calcaria ei addo. Ferias hasce Caniculares eum cum-
primis diligentissimè collocare jubeo. Monita successu non carent. Agi vult,
sed prudenter, et leniter; non vi trahi. Unde has ipsas querelas meas nunc quidem
abs Te taceri cupio. Ita, ut spero, in posterum studia sua tractabit, ut neglecta
compenset, mihique materiam ipsum laudandi suppeditet. Mytterus et Schönholzerus,
ut nôsti, Thermis utuntur. Cum fine feriarum, earum quoque finem facient: Mytterus
fortè reditum suum maturabit, quia provincia, Oratione publica Auditores ad
labores ordinarios revocandi à Dn. Scholarcha ei demandata est.
Publica quod spectat, de Pace nostra adhuc ἐπέχω. Nondum est in rerum natura.
Monstra Deus avertat! Malumus aliena curare, quam propria sanare mala. Quan-
tae, quaeso, dementiae est, plus de foedere cum Gallo renovando, quam de dubio et anci-
piti Patriae statu de novo confirmando, cogitare? Si omnibus aequè perspectum esset,
quantopere et vera Religio, et aurea Libertas tali foedere labefactetur, profectò
non laboraremus. At multi caecutire, quam mala inde nascentia videre malunt.
Non desunt tamen, nec etiam deinceps in utroque statu viri boni, et Libertatis avitae
amatores deerunt, qui fortissimis ex spirituali armamentario telis Turrim hanc
Babylonicam prosternere conabuntur. Quòdsi, praeter spem atque opinionem,
sanguinem Helveticum vendere perrexerimus, tristissima nos fata manere
Dubitandum non est. Româ scriptum est, factionem Hispanicam in ipsum bea-
tissimum sanctissimumque Patrem, veneno tollendum: in Legatum Portugallensem,
trucidandum: in Reginam Sueciae, in vincula conjiciendam; et in Urbem ipsam,
incendiis vastandam, conspirâsse, conspirationem autem maturè detectam fuisse.
Rumor fortè ἀκέφαλος est. Quis enim tantam morigerorum filiorum in opti-
mum Patrem credat esse impietatem? Cur non anathemata et fulmina talibus

exspectanda

Rever. ac praestantissimo Viro,
Dn. Sebastiano Hoggero,
Scholae Sangallensis Rectori,
et Ecclesiae Ministro vigilan-
tissimo, amico peramanter
colendo.
Sangallen.

3